

78N 13 [102]

X 3013728

IVRA PRINCIPIS

INCOGNITO

PEREGRINANTIS

ODIOSA,

Per- Illustri ac Generosissimo

DOMINO

GODOFR. HENR.

de NITZSCHWIZ,

SERENISSIMI AC CLEMENTISSIMI DVCIS SAXONIAE,
REVERENDISSIMI ADMINISTRATORIS
MARTISBVRGENSIS, &c.

Consiliario Aulico,

iam vero

SERENISSIMI PRINCIPIS NASSOVIO-IDSTEINENSIS

per itinera in remotiora regna suscipienda

Aulae Magistro,

DOMINO SVO GRATIOSO,

Fortunam comitem & reducem optando

in tesseram animi ad quaevis obedientiae genera obstrictissimi

votivo calamo delineat

Iohannes Christianus Dresler,

Intimiori Camerae Saxo-Martisburgensi a manu secretorii.

MARTISBVRGI, stanno Gottschickiano.

Mense Martio Anni M DCC XXX.



Kapsel 78 N 13 [102]

A.K.



Eve istud hominum genus omni tempore habui, quod cum mira superbia & stentorea sapientia inflatum ac turgens de reliquo parum scit orbe, inducias non audet facere paternis cum laribus, ac pulveres intra mortuorum cancellos amans, omnes aut extimescit peregrinationes aut abhorret. Chineses, qui duos oculos se habere olim iactantes reliquos mortalium tanquam barbaros, tanquam cæcutientes despiciebant, hac iudicii laborare macula feruntur. Parum etiam prisca Germani, sicuti de Lacedæmoniensibus constat, tempora si belli excipias, peregrinati sunt, antiqua nimirum simplicitate contenti, e pago saltem iter comparauere in pagum.

Græci e contra in Ægyptum, Romani in Græciam, & Franci postmodum per vniuersam ferme tellur^{em} proficiscebantur, mutato cælo, rudes mores animosque rudes varii hominum generis vario confortio mutabant.

Omnes autem peregrinationes, quum accuratori oculo istas contueri licet, vel vulgares, a priuatis hominibus susceptæ, vel illustres sunt, quas principes & illustres personæ instituunt, quando a loco domicilii ad loca remotiora abeunt, & in his per tempus absque animo manendi commorantur.

Hinc neque Cingari, qui Ægyptum patriam mentiri, & nullibi, quia vndique expelli debent (Recess. Imp. de Ao. 1500. T. 27.) domicilium habere solent, neque Iudæi, nisi saluo conductu redempto, aut speciali accepta concessione permanendi, neque huius farinæ alii populi, qui plaustris domos suas mobiles vehunt, neque funambuli, & histriones, neque relegati aut banniti, qui ipso iure peregrinari prohibentur, iure peregrinantium vtuntur, sed tanquam vagabundi vbi vbi commorantur, domicilium habere censeantur, quamuis alii inter peregrinationem vituperabilem & laudabilem distinguentes aliam ament sententiam.

Binæ species, illustres & vulgares peregrinationes, vel publicæ, quæ boni publici causa, vel priuatæ, quæ nempe priuati commodi sunt gratia, esse possunt. Ad posteriores referendæ, e. g. quæ vel commoditatis & voluptatis intuitu instituuntur, quod Galli *SEIOVRNER* vocant

vocant, vel fanitatis gratia, itinera puta ad fontes & balnea, vel religionis ergo, die *Wahlfarth*en, vel ob lucrum, honorem & curiositatem, vti mercatorum, opificum, & eorum qui aere copioso gaudent.

Sicuti autem quispiam in priuatis itineribus minime tam speciali iure ac priuilegio vtitur, quam in publicis; ita ad publicas peregrinationes praecipue Legatorum, Professorum, Militum, Praeconum, Tubicinum & Curforum publicorum vulgo Courriers, ante omnia autem ipsius Principis itinera referuntur. Qua de re Princeps, qui omni tempore & in omnibus suis actionibus moralibus salutem publicam vltimam metam habere praesumitur, in omnibus quae parat itineribus, siue sint commoditatis, siue recreationis, siue curiositatis, siue instructionis, siue mutui colloquii & tractationis negotiorum causa, peculiari in suo & aliorum territorio praeter omnibus fruitur sanctimonia, securitate, praerogatiua & priuilegio, si magnatum iura priuilegiorum nomine appellare licet.

Attamen Principum peregrinationes merito diuiduntur in solennes, quando retento nomine, titulis & insigniis non mutatis, ministris suis quandoque & satellitibus stipati proficiscuntur, de quibus iam locuti sumus; & minus solennes, quando tecto nomine, aliis adoptatis titulis & armis gentilitiis, ne cognoscantur ab aliis personas suas disimulantes, *incognito* vti dicitur, aut parsimoniae, aut Rationis status causa peregrinantur, & ita omnes honores ac praereminencias vel temperant, e. g. si princeps se Baronem profiteretur, vel plane cessare faciunt, si princeps, v. g. mercatorem se simulat. Hoc enim casu, quamuis alias si solemnia facit itinera, & iure gentium & pacto complacentiae, vt ita dicam, legibus omnibus princeps solutus sit, voluntati domini istius quod intrat territorii veluti alius quidam priuatorum subiicitur, at nequidem communi cum suo legato tunc gaudet priuilegio, qui Romana quidem Lege iure domum reuocandi vtitur.

Ea quae ab initio voluntatis erant ex post facto necessitatis sunt. Morbi igitur grassantes aut belli tempestates si portas claudere & regni fines securos reddere iubent, princeps quia se disimulat, gradum itineris sistere, seu *guarantaine halten* tenetur. Immunitate vectigalium, accisarum & onerum regionis publicorum, quae principi & legato suo, si status est, per totum Imperium R. G. sub poena viginti marcarum auri puri, Edicto de Anno 1666. concessa, amplius haud irui potest princeps, Damnum, quod iure Gentium decet, & Romano approbatum, a latro-

ni-

nibus & aliis aggressoribus in via, aut a furibus in hospitibus publicis datum, ipsi non refarcitur; fato & proprio arbitrio, quo se disimulauit hoc incommodum imputare, imo iniurias & ab infimo plebeia fortis homunculo sibi illatas vt priuatus ferre, & non sibi sed personæ quam proficietur, illatas esse credere debet. Cessat nimirum eo tempore sanctitas & inuiolabilitas, quibus principes defensi, ita vt nequidem delictis in talem disimilatum principem commisis ordinaria pœna iure irrogari possit. Neque ipsa principum hoc pacto peregrinantium delicta, quamuis alias fieri soleat, disimulantur, sed, si e. g. alium ense interficientes capiantur, æque ac priuati, rei sunt. Et quid impedit? ne impune principes si aggressores sint violenti, ab alio ex tutela interficiantur, aut si hostis ad territorium pertingant, cogniti postmodum, quia veniam non petierunt, tanquam exploratores & hostes regni Jure Gentium ultimo supplicio subiciantur, &c. &c.

Maximi igitur momenti officium *Gubernatoris seu MAGISTR*
AULÆ Principis peregrinantis, præ primis hoc casu, quo iure priuato
 vitur, esse solet, ita vt talis semper eligendus *Mentor* ad gubernan-
 dum & tuendum *Telemachum Illustrum*, qualem *Serenissimus Princeps*
Nassouio-Idsteinensis, TE, Perillustrem ac Generosissimum Dominum, inuenit.

Ad *illustres qualitates* & eminentiora merita *TVA* contemplanda
 quando animum compono & extollo, campus omnium virtutum
 pretiosissimarum amplissimus ante oculos meos positus est, quibus
 singulis singuli alii saltem præditi vix esse solent. *Prudentia & provida*
sapientia, rerum publicarum Gubernatrix, cum intucata *TVA* *Pi*etate
 fororiorio vinculo sociata est. *Eruditionem* *Experientia* effulcit, *Probitas*
animi generosa Magnanimitati pondus addit. *Humanitas*, quæ rara
 solet esse, *Gravitate*, quæ illustres ornat, mire temperat. *Meritum*
 quo innumeros antecedit, illud tandem clarissimum est, quod
ILLVSTRISSIMO nostro *ZECHIO*, qui virtute saltem præ-
 ditis fauet, placeas. Sane si insisterem his, quæ de *TVIS* gloriosis animi
 prærogatiuis meditor, nunquam finem scripturæ meæ inuenturus essem.
 Hinc ne *Modestia TVÆ* sim molestus, nolo interstrepere laudes *TVAS*
 cantantes olores. *Fortunam* in peregrinationibus, quæ non sine mul-
 tis periculis esse solent, *TIBI, PER-ILLVSTRIS, GENEROSISSIME, &*
GRATIOSE DOMINE adprecor Comitum ac Reducem. Faxit hoc

Nomen æternum & reddat *TVÆ* *Gratie* me commen-
 datum atque dignum *Favore*,

Vale.

* * *

78 N 13 [102]

X 30/13728

IVRA PRINCIPIS
 INCOGNITO
 PEREGRINANTIS
 ODIOSA,
Per- Illustri ac Generosissimo
 DOMINO
GODOFR. HENR.
 de **NITZSCHWIZ,**

SERENISSIMI AC CLEMENTISSIMI DVCIS SAXONIÆ,
 REVERENDISSIMI ADMINISTRATORIS
 MARTISBVRGENSIS, &c.

Consiliario Aulico,

iam vero

SERENISSIMI PRINCIPIS NASSOVIO-IDSTEINENSIS

per itinera in remotiora regna suscipienda

Aule Magistro,

DOMINO SVO GRATIOSO,

Fortunam comitem & reducem optando
 in tesseram animi ad quævis obedientiz genera obstrictissimi

vostro calamo delineat

Iohannes Christianus Dresler,

Intimiori Camerae Saxo-Martisburgensi a manu secretiori.

MARTISBVRGI, f fanno Gottschickiano.

Menſe Martio Anni M DCC XXX.



Kapsel 78 N 13 [102]

AK

